



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 53. Papa Judæos protegit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

& illi mandatum dedit 15 Martii: dein <sup>Sæcul. XIII.</sup> mense Junio scripsit his verbis: *Ecclesie* <sup>A.C. 1247.</sup> utilissimum foret, si in Germanicæ locis, in <sup>IV. ep. 113.</sup> quæ populus convenire solet, quidam Religi- osi eos omnes, qui Ecclesie partes se- cuti, eidem fide sua jurejurando obstricta, ad Fridericum & Conradum redierunt, ana- themate, illorumque terras interdicto per- cellerent. Declarabitur etiam, eorum te- stimonium in judiciis non acceptum iri, nec ad templa profugos immunitate frui- turos esse. Prohibetur omnis cum eis- dem communicatio, & a muneribus suis ad tempus abstinere jubebuntur omnes Clerici, qui per malos sermones suos e- molumento Ecclesie obstiterint.

§. LIII.

*Papa Judæos protegit.*

Interim Papa recepit Germaniæ Judæo-  
rum querelas, quod quidam Principes  
tum sacri tum profani, aliique Nobiles,  
ut ipsorum bona expilandi causam præ-  
texerent, calumnias contra ipsos excogi-  
tarent. Addebant: *Die Paschatis, pro* <sup>ap. Rayn. 4.</sup> *sacra communione infantis a nobis necati*  
*cor comedere, & cum cadaver hominis*  
*invenitur, nos eum peremisse dicimur. Non*  
*convicti, immo nec accusati coram Judice,*  
*spoliamur bonis, & in carceres compacti*  
*fame variisque tormentis conficimur: mul-*



Sæcul. XIII. *ti etiam ad mortem condemnantur. Proinde*  
A.C. 1247. *de loca, quæ nos & patres nostri a tempo-*  
*re, cujus nulla exstat memoria, incoluimus,*  
*relinquere cogimur, & in miserabili exilio*  
*vivere. Quo comperto Papa omnibus*  
*Germaniæ Episcopis scripsit, ut se pro-*  
*pitios præberent Judæis, & injurias ipsi-*  
*per Præfules, Nobilesque & alios poten-*  
*tes viros illatas compensari curarent, nec*  
*in posterum immerentes vexari pate-*  
*rentur. Dabat epistolam Lugduni 5 Jul.*  
*1247 quam etiam ad Episcopos Franciæ*  
*misit. Hoc nos exemplum docet non*  
*leviter fidem habere tot historiis de in-*  
*fantibus per Judæos occisis, quas in scri-*  
*ptoribus illorum temporum legimus.*

## §. LIV.

*Papæ vita non semel appetitur.*

*Matth. Par.* **H**aud multo prius quidam Friderici E-  
*p. 631. 632.* **ques** Radulphus nomine illi infensus  
 Lugdunum venit, ubi cum Doctore Gual-  
 terio Docrio Imperatoris Consiliario ea-  
 dem in caupona versabatur. Hic illi  
 persuasit, ut ad servitium rediret suum,  
 & quo certius Domini sui gratiam sibi  
 rursus conciliaret, Papam de medio  
 tolleret. In conjurationem induxerunt  
 hospitem suum Renaudum, qui Papæ ac  
 ministris ejus notus executionis media  
 ipsis præberet. Tum Gualterius profe-  
 ctio-